



Gregorius ille apud Germanos natus, & omni genere literarū optimè educatus est. Is cū prima artium & linguarū fundamenta feliciter iecisset, animū ad legū studia adiecit, & sua diligētia effecit, ut doctissimis Iureconsultis cōnumeratus fuerit. Eam quoq; facultatē Gregorius plurimū exornauit, atq; totum corpus Iuris castigauit, et ad nouam uenustatem redegit, nempe Digestorum seu Pandectarū lib. 50. Codicis lib. 12. ex fide antiq. exemplarium, quoad fieri potuit diligentissimè recognitos. hisce in fine operis adijciunt Catalogus consulum Romanorum ab ipso conscriptus: dein de Summule quædā nouellarum constitutionum

Iustiniani quas uulgò Authenticas appellat, sparsim per 9 Codicis libros à posteris insertæ. sic etiā excerpta Constitutionum Friderici Imperatoris, quæ sub certis alioquī titulis Codicis legunt apposita: Notæ literarum, pro ut per Codicis libros legēdæ sunt: Variantes subinde lectiones & notæ, recogniti operis. Item nouellarum constitutionum Iustiniani (quæ extant) uolumen Græcum. quibus addunt Græci Canones S. S. Apostolorū, per Clementē cōgesti, eodē Haloandro interprete. Hisce accedunt Feudorum lib. 2. & constitutiones Lotharij Conradi, Friderici 2. & Heinrici Imp. Sic de pace Constantiæ facta inter Fridericum Imperatorē & Heinricum filiū. Hæ quidē Georgij lucubrationes primo Nørinbergæ, postea quoq; 1537 Lugduni, atq; tandē Parisijs magna doctorum gratulatione sunt aditæ. Itaq; ipse omnibus innotuit, & magnam sibi nominis existimationem comparauit. Con. Gest. Anon.